DE FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS HÆMORRHAGICIS DISQUISITIONES...

Luigi Della Torre



DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS
HÆMORRHAGICIS

DISQUISITIONES

QUAS

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM UT DOCTORIS MEDICINAE LAUREA SUMMIQUE IN MEDICINA HONORES AC PRIVILEGIA RITE CONSEQUANTUR IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

DOCT. ALOYSIO SCARENZIO

Pathologiae Generalis atque Pharmacologiae
Professore Ordinario

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

Mense Mart. anno 1843

PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

ALOYSIUS DELLA TORRE

EX PICELEONE.



TICINI REGII
EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII.



J. C.

HERMENEGILDO BOTTI

OPTIMO AMICO

MUNUSCULUM HOC

D.

AUCTOR.



» Febris, si phoenomena spectes, reliquis morbis est notior; si constitutionem et causam, omnium ignotissimus.

Baglivius.

Plerique medicorum, qui saeculo decimoctavo et sub finem praecedentis claruerunt, haemorrhagias febrium intermittentium socias tamquam istarum febrium effectus vel symptomata habebant. Hinc quotiescumque haemorrhagias periodum quotidianam, tertianam vel quartanam servantes, absque manifestis paroxysmi febrilis indiciis, observabant, de febris larvatae praesentia judicabant; suspicabantur enim, symptoma illud *a fermento febrili delitescente subortum esse* (1). Rejecta erronea de fermento febrili hypothesi, opinionem illorum medicorum sequuti sunt, ultimis hisce annis, Arloing, Daniel, Alibert, Deslandes, Routier, Thomas, et denique eximius noster Puccinot-

(1) Morton. *De proteif. febr. interm. gen.* **Hist. 27.**

ti; qui omnes febrem intermittentem veluti causam praecipuam haemorrhagiae illius, quae typum periodicum quotidianum, tertianum vel quartanum servat, considerant.

Sed opinio huic plane contraria viget apud doctrinae physiologicae asseclas et Broussais discipulos: hi enim statuunt haemorrhagias, sive periodicas sive non periodicas, nil aliud sistere nisi irritationis localis effectus; irritationem porro hanc localem haemorrhagicam, febrilium paroxysmorum veram esse causam. Celeberrimus Mongellaz, qui doctrinam febrium intermittentium, irritationi Broussaisianae innixam, non multis ab hinc annis, vulgavit (1), sequentia hac de re scribit.

» Verum quidem est, in haemorrhagiis periodicis observari, quibusdam in casibus, plurima phoenomena quae analogiam quamdam cum symptomatibus accessus intermittentis febris habent; hujus generis essent horripilationes, membrorum lassitudo, cutis decoloratio, quandoque pulsuum frequentia, cephalalgia et similia . . . ; verum analogia horum phoenomenorum nil aliud indicat nisi analogiam inter *irritationis localis* varias species, quae *ir-*

(1) Mongellaz. *Monographie des Irritations intermittentes.* Vol. 2 Paris. 1839.

ritatio localis modo accessum haemorrhagicum, modo paroxysmum febrilem provocat » (1).

Haemorrhagiae itaque, seu irritationes locales haemorrhagicae, quae pro schola physiologica causam sistunt febrium intermittentium; febrium istarum essent effectus, juxta medicorum, quorum nomina supra retuli, sententiam. Unum ergo idemque phoenomenon a quibusdam uti *effectus*, ab aliis medicis uti *causa* febris intermittentis consideratur.

Ad hanc litem dirimendam, nil aptius mihi visum fuit, quam varias et huc illuc sparsas haemorrhagiarum periodicarum historias observationesque in unum hic colligere: ab earum enim accurata consideratione forsan apparebit, an haemorrhagiae istae periodicae, irritationes revera locales et primariae sint, an potius morbi magis generalis, seu febris intermittentis, symptomata. Observationes, juxta haemorrhagiae sedem distributas, hic expono.

(1) Op. cit. Tom. I, p. 496.

I. *Febres intermittentes cum Epistaxi.*

Observatio 1. — Puella annorum sex jam a quindecim diebus febri tertiana duplicata aegrotabat. Die 29 septembris anni 1836, epistaxis apparuit, cui successit febris. Die sequenti, apyrexia adest. Sed sequenti die, epistaxis redit; immo puella sanguinem evomit, subsequente febri. = Haec a puellae parentibus accepit medicus gallus Dufour, qui historiam refert. Hic puellam vidit die 2 octobris; cutis aegrotae undique peticulis latis obsessa est. Praecripsit sulfatis chininae grana duodecim, sex vicibus sumenda. Die 3 octobris, qua redire debuisset epistaxis, comparent quidem nausea, frigus febrile et membrorum dedolatio, sed nulla haemorrhagia. Post aliquot dies, sanata est puella (1).

Observ. 2. — Vir, 28 annorum, febre intermittente tertiana laborabat cum epistaxi violentissima. Fluxus sanguinis e naribus frigoris tempore apparebat, nec cessabat nisi cum aeger sudare incipiebat. Quousque frigus perdurabat, sanguinis fluxus e naribus nullo remedio

(1) *Bulletin de l' Academie R. de Médecine.* Paris. Tom. I, 1836, pag. 289.

coerceri poterat. Aeger tres similes accessus, quibus magnam sanguinis copiam amisit, passus est: dato cortice peruviano, acidis mineralibus nupto, febris sublata fuit una cum epistaxi, sed convalescentia in longum satis tempus protrahebatur (1).

Observ. 3. — Mulier, annorum 22, debilis, lienosa, febribus intermittentibus diu vexata, Nosocomium Romanum S. Salvatoris ingreditur febri periodica denuo laborans. Prima nocte, post illius ingressum, sanguinis stillicidium e naribus patiebatur. Mane sequenti, adsunt: capitis dolor, nausea, debilitas insignis, cutis mollis, lingua rubra, pulsus frequentes, intermittentes, debiles. Vespere hujus diei, capitis dolor augetur: praeterea accedunt oppressio pectoris, calor adauctus, et pulsatio valida arteriarum temporalium; tandem apparet epistaxis, quae sanguinis duarum librarum jacturam producit. Sequuntur sudores frigidi et deliquia. (Prescribitur: corticis peruv. uncia cum acido sulfurico) — Die subsequenti, febris remittit; sed circa vesperam, paroxysmus accenditur et paullo post epistaxis rediit, cui succedunt deliquia. (Repet. chinae

(1) Kuhlbrand, in Mongellaz Op. cit. tom. I, p. 159.

chinae dosis) — Sequenti die, comparebant denuo febris et epistaxis, sed haec minori copia, adeo ut, repetitis adhuc per aliquot dies corticis peruviani dosibus, salus tandem aegrotae rediret (1).

II. *Febres intermittentes cum Haemoptysi.*

Observ. 4. — » Fuit vir triginta trium annorum; qui omni alterno die circa nonam matutinam per totum corpus sensit horrorem, dein frigus ingens, tandem pectoris summam angustiam, et pulsus deprehendebatur admodum febrilis.

Remittente frigore ingrata aderat faucium siccitas et titillatio; hanc tussis vivissima et violentissima excepit, intumuit facies, livuerunt labia.

Tandem tussi prodiit copiosissimus, spumosus sanguis, et mox cessavit titilatio, pectoris anxietas, et aeger longe melius se habuit, et sensim siluit tussis et sputum sanguineum.

Finito paroxysmo nullam omnino molestiam aeger conquestus est, nec respiratio videbatur difficilis, et vires fuerunt satis bonae, viguitque appetitus.

(1) Pucinotti. *Storia delle Feb. int. pernic. di Roma.* Tom. I, pag. 204. Edit. Macerat. 1835.

Postquam tres tales paroxysmos observavi, dedi intra triginta tres horas unciam unam cum dimidia corticis peruviani. — Effectus fuit optimus et nullum amplius paroxysmi signum rediit. Per plures dies parvam adhuc quotidie corticis dosin exhibui, aeger autem inde optimam sanitatem obtinuit. Etenim brevi temporis spatio pinguis factus est, liberrime respiravit, neque in ambulando, neque in ascendendo scalas ullum in pectore incommodum sensit, nec ulla tussi deinceps vexatus est » (2).

Observat. 5. — A tribus jam diebus febre laborabat puella, annorum 13, quum illam prima vice observavit professor Puccinotti. Symptomata, quae illa praeseferebat, sequentia erant. Perseverat febris cum cephalalgia, tussi et sensu ponderis in pectore; halitus foetet; lingua pura et rubra est. Circa vesperam, febris remittit, et tussis evanescit, sed respiratio brevis aderat cum pulsubus inaequalibus, frequentibus et debilibus. Nocturnis horis, sudor partialis circa truncum accessit. — Sequenti die (5 morbi) teterrima plane symptomata in scenam veniunt: pallor faciei et

(1) Störck. *Annus medicus secundus.* In 8. Vindob. 1761, pag. 165.

labiorum ferme cadaverosus, suspiria frequentia, dolor gravativus ad sterni regionem dorsumque, extremitates frigidae. Paullo post pulsus frequentissimi et summopere debiles evadunt, accedente dein frigore totius corporis: tunc tussis excitatur, et cum tussi ingentem sanguinis copiam misera emittit (duas libras circiter); hinc sudores gelidi et lipothymiae. — Quum ad 6 morbi diem aegra pervenisset, omnia illa symptomata evanuerant, exceptis tamen pulsubus exilissimis et summa virium debilitate. Cortice peruviano incassum propinato, nam aegra remedium illud respuit, novus accedit paroxysmus, iisdem stipatus symptomatibus ac praecedentes, qui puellam e medio tollit (7 morbi die) (1).

Observat. 6. — Mulier, quinquagesimum quintum annum agens, temperamento sanguineo praedita, die 10 julii anni 1822 febre corripitur symptomatibus inflammatoriis stipata. Venaesectio celebratur, et purgans oleosum, sequenti die (2. morbi), praescribitur; sed tamen febris continuat, et non remittit nisi tertia die. Verum, hac ipsamet die, circa horam tertiam post meridiem, febris denuo exacerbatur, succedentibus tussi et sanguinis sputo

(1) Puccinotti. Op. et Vol. cit. pag. 209.

adeo copioso ut, sex horarum spatio, tres circiter sanguinis libras aegra amiserit. Emoptysis cessavit versus horam nonam, remittente paullulum febre. — Die seguenti (4ª morbi), hora quarta post meridiem, frigus evolvitur et febris exacerbatur, tussi et sanguinis sputo copiosissimo comitata. Remittente febre, medicus ad sulfatem chininae confugit (grana quatuor omni secunda hora); quod remedium febrem et emoptysim diebus successivis minores reddidit et tandem ex integro sustulit (1).

III. *Febres intermittentes cum Haematemesi.*

Observat. 7. — Mutinensis medicus, Franciscus Clericus, sequentem historiam praeclarissimo Torti communicavit. Gibbus quidam, unus ex Assistentibus Xenodochii militum, tertiana simplici corripiebatur; quinta die de stomachi dolore conquerebatur, declinante vero febre cum sudore bene se habebat. Sexta die, quae intermissionis futura erat, denuo invasit febris cum alvi fluxu, et intensiori ventriculi morsu; hac vero declinante, omnia cessabant.

(1) *Opuscoli medici* del D.r G. Riccardi. Vol. I, Roma 1833, pag. 111.

Septima morbi die tanto impetu recurrit febris, ut acerrimo dolore ad ventriculum et intestina excitatio, sanguinem per superiora et inferiora ejiciens frigido viscidoque sudore perfunderetur, et inde vox clangosa pulsusque fere nullus perciperentur. In tam praecipiti casu statim corticis unciam semis exhibuit Clericus, quam rejecit; iterum eandem dosim, sed partitis vicibus propinavit, et post hanc vomitus sedari omnino, sanguis per inferiora imminui, et aliquantulum refici pulsus videbatur. In noctis progressu caetera symptomata paulatim remissa sunt, licet ferme cadaver esset aeger. Post alios quatuor dies febris evanuit et gibbus integre dein convaluit (1).

Observat. 8. — Miles, juvenilis aetatis, febre intermittente tertiana duplicata simplicissima et levissima laborabat, et in Nosocomio Turonensi ab octo diebus degebat, quum hora decima matutina frigore violentissimo corripitur, quo perdurante libras duas sanguinis circiter evomit. Vomitui succedunt calor et sudor. — Die subsequenti, praeter debilitatem, nullum symptoma praebet aeger: verum, hora decima matutina, en denuo frigus et vomitus sangui-

(1) Torti. *Therap. spec. ad Feb. quasd. Perniciosas.* In 4. Mutinae 1712, pag. 505.

nis ad quinque libras circiter. — Sulfas chininae ad dosim granorum triginta praescribitur, sed sero nimis; nam aeger nondum heroicum istud praesidium ingurgitare potuerat, cum tertius accessit paroxysmus qui aegrum e medio tollit. — Cadaveris sectio nullam in fistula gastro enterica alterationem patefecit (1).

Professor Trousseau, qui hanc observationem refert, aliam affert historiam melaenae intermittentis quotidianae, quae, exhibito sulfate chininae, cito sanata fuit. Sed auctor ipsemet suspicatur, an in hoc ultimo casu aeger propriam salutem debuerit remedio illi vere divino, » quum non raro haematemeses etiam gravissimae sponte cessent post aliquot dies. »

Observat. 9. — Mulier quadragenaria, corporis habitus gracilioris, Nosocomium Romanum S. Salvatoris ingressa est, mense augusti anni 1821. Febre intermittente a pluribus jam diebus illa cruciabatur, et singulis paroxysmis paucam sanguinis copiam evomebat.

Ipsamet die, qua aegra in Nosocomio recipiebatur, febris cum sanguinis vomitu compa-

(1) Trousseau. In *Journ. des Connais. méd. chir.* Tom. I, 1833, pag. 105.

ruit, et cum sudore cessavit, perstantibus tamen nausea et oppressionis sensu ad epigastricam regionem. — Sequenti die, febris denuo invadebat cum frigore extremitatum et singultu, quibus accedebat vomitus sanguinis (20 unciarum et amplius) et leypothymia gravissima. Post haec, cessavit febris. Imperabatur hyrudinum ad epigastrium et anum adplicatio, una cum corticis peruviani drachmis sex. — Redit tamen paroxysmus, altera die, cum graviori sanguinis, per vomitum, jactura, sed repetitis adhuc per plures dies corticis illius dosibus, febris tandem et sanguinis vomitus evanuerunt (1).

IV. *Febres intermittentes cum Metrorrhagia.*

Observat. 10. — Picqué singularem plane febris intermittentis topicae exemplum refert.

Femina, quadragesimum annum agens, temperamento sanguineo et bona corporis constitutione praedita, ab haemorrhagia uteri periodica, absque causa nota, aggressa est. Singulis scilicet diebus, circa horam sextam matutinam, femina illa frigoris sensum percipiebat ad uteri

(1) Puccinotti. Op. et tom. cit., pag. 214.

regionem circonscriptum; frigori huic succedebat calor satis fortis, ad eandem regionem definitus, et tunc sanguis fluebat magna copia ex genitalibus. Versus meridiem, phaenomena ista morbosa sponte evanescebant. Adhibitis absque fructu amollientibus, temperantibus, stypticis et venaesectione revulsiva, Picqué ad corticem peruvianum confugit. Binae hujus remedii unciae ad haemorrhagiam istam fugandam pares fuerunt (1).

Observat. 11. — Arloing uteri haemorrhagiam, omni tertia die recurrentem, et symptomatibus febrilibus conjunctam observavit in foemina triginta sex annorum, temperamento sanguineo et laudabili corporis constitutione donata. Febris paroxysmi ordiebantur cum frigore generali sed levi; dein accedebat fluxus sanguinis, cujus tanta erat copia ut caloris evolutio inde impediretur; aegra enim, ob nimiam sanguinis jacturam, in gravissimam debilitatem conjiciebatur, quae, finito etiam paroxysmo, perseverabat. Post duos hujusce febris accessus, cortex peruvianus praescriptus est, qui et febriles paroxysmos et metrorrhagiam expulit (2).

(1) *Journal de médecine*. 1774. Tom. XLII.
(2) Op. cit. Tom. LVIII.

Observat. 12. — Mulier annorum triginta septem, sex puerorum mater, abortum patiebatur die 19 februarii anni 1806, quum in quarto graviditatis mense versaretur. Die 14 aprilis, ejusdem anni, dum optime valeret, de repente a frigore et tremore membrorum corripitur, succedentibus calore et sudore: frigoris tempore, sanguis ab utero fluebat, neque cessabat nisi post caloris et sudoris apparitionem. Doct. Routier, qui mulierem sub finem paroxysmi invisit, uteri collum in statu normali invenit. — Die 15. mulier sana videbatur et propriis muneribus incumbere potuit. — Die 16. accessus et uteri haemorrhagia denuo apparent. Medicus remedia parvi momenti praescripsit. — Die 17. nulla febris adest. Sumat aegra radicis ipecacuanhae grana viginti quatuor cum grano uno tartari stibiati. — Die 18. in scenam redeunt frigus cum haemorrhagia adeo gravi ut inde syncops enascatur. Paroxysmus cum calore et sudore finem habet. — Die 19. apyrexia. — Die 20. paroxysmus febrilis cum metrorrhagia et syncope manifestatur, quemadmodum die decimoctava. Tandem medicus de indole morbi periodica suspicatur, deque cortice propinando cogitat. Extracti ergo corticis peruviani drachmas duas aegrotanti mulieri porrigit. — Die 22. novi paroxysmi, a me-

trorrhagia et syncope comitati, apparitio. — Die 23. apyrexia perfecta. Aegra corticem peruvianum ingurgitat. — Die 24. levior febris accessus apparet, sed absque haemorrhagia. Continuato corticis peruviani usu, sextus paroxysmus visus minime fuit (1).

Observat. 13. — Mulier viginti sex annorum, temperamento lymphatico donata, varios abortus passa jam fuerat, quum circa decimam horam vespertinam diei 22 novembris, anni 1826, persentiit horripilationes quasdam, dein dolores in lumbis, quibus accedebat sanguinis fluxus ab utero a tremore satis valido comitatus. Haec per horae circiter spatium perdurant: redeunte calore, sanguinis fluxus imminuitur, et tandem sudor comparet circa horas matutinas. Mulier debilitata quidem, sed caeterum ferme bene valens, perbelle diem vigesimum secundum et sequentis maximam partem transegit: ast, hora decima vespertina hujusce diei adveniente, symptomata omnia diei 21 immo graviora apparent. Frigus violentum est; sanguis magna copia a genitalibus fluit; membra convelluntur: pulsus parvi sunt, duri, sitis ingens. Medicus, qui vocatus apud aegrotam fuerat, praescripsit remedium anodynum,

(1) *Journal. de Corvisart*, etc. Januar 1815.

solutionem sulfatis martis, decoctum ratanhiae et frigidorum circa genitalia adplicationem.

Subsequo mane (24), symptomata evanuerant: aegra apyretica est et absque lumborum doloribus.

Sequenti nocte (24 25) in scenam rursus veniunt frigus et uteri haemorrhagia, licet leviora quam praecedentibus diebus. Medicus illico ad sulfatis chininae usum confugit, quo subsequens paroxysmus mitissimus redditur. Rennovata, sequentibus diebus, remedii illius divini propinatione, optimam aegrota recuperavit salutem (1).

V. *Haematuria quotidiana.*

Observat. 14. — Miles, juvenilis adhuc aetatis, et optima valetudine gaudens, per duas horas frigus ingens expertur est, cui sequebatur fortis calor. Caloris tempore, aeger, lotii loco, magnam sanguinis copiam minxit. Post aliquot horas, sudor apparuit, et cum sudore omnium facultatum integritas. — Die qui sequebatur, eadem hora, phoenomena febrilia supradicta cum sanguinis fluxu denuo manifestantur. Doct. Gergerès, qui tunc aegrotum

(1) *Thomas.* In *Nouvelle bibliot. médic.* 1828.

vidit, curam ammollientem imperavit. Febrilis iste accessus finem habuit quemadmodum et primus. Die tertia, en in scenam rursus veniunt phoenomena febrilia cum haematuria, sed graviora quam diebus praecedentibus. — Dato sulfate chininae (grana vigintiquatuor) sub finem accessionis, illa quae ventura erat non apparuit (1).

Hae sunt observationes, quas colligere potui hinc inde: licet earum pleraeque imperfectae sint, attamen non inutiles erunt pro scopo quem mihi proposui.

Videamus itaque, harum observationum subsidio, an *irritatio localis haemorrhagica* et *periodica* causa sit phoenomenorum febrilium, quae saepe saepius illam comitantur, vel eorum phoenomenorum effectus.

In definiendis causarum characteribus, Logica scientiarum physicarum tamquam fundamentum statuit, quod *causa* necessario *praecedere* debeat, et *effectus sequi* (2). Hoc posito, si irritatio localis haemorrhagica causam phoenomenorum febrilium sistit, necessario ir-

(1) Mongellaz. Op. et tom. cit. pag. 512.

(2) » Connessione invariabile, ed, in particolare, antecedenza invariabile della causa e conseguenza dell'effetto, salvo il caso d'impedimento opposto da una causa contrastante. » (*Herschel.*)

ritatio illa localis apparebit anteaquam phoenomena febrilia manifesta sint. Sed in observationibus supra allatis hoc locum minime habuit: haemorrhagia enim manifestabatur

a) una cum frigore febrili (in observ. 2, 8, 12),

b) post frigoris ipsius perfectam evolutionem (in obs. 5, 9, 11, 13),

c) tempore caloris febrilis (in observ. 3, 4, 6, 10, 14),

d) tandem sub decursu febris intermittentis et plures post dies a febris initio (observ. 1, 3, 5, 6, 7, 8).

In omnibus itaque casibus, quaedam ex phoenomenis febrilibus apparuerunt anteaquam irritatio haemorrhagica in scenam veniret: hinc meliori sane jure, quam scholae physiologicae disciputi, concludere possumus, irritationes locales haemorrhagicas febrium intermittentium soboles esse quotiescumque symptomatibus, febrium periodicarum propriis, comitantur.

Quod si aliquis objiceret, interdum haemorrhagias periodicas observatas fuisse, febrilibus symptomatibus prorsus destitutas; respondeo. Historias hujuscemodi haemorrhagiarum perlegi utique; sed ex illis novum argumentum pro doctrina physiologica intermittentium febrium minime sumendum. Si excipiamus haemorrha-

gias quindecimanas, mensiles, annuas, quae vix cum febribus intermittentibus sunt comparandae (quarum haemorrhagiarum plures leguntur apud medicinae scriptores historiae), observationes haemorrhagiarum periodicarum cum absentia phoenomenorum febrilium ad sequentes reducuntur. Prima est historia epistaxis quae duabus vicibus, singulis diebus, comparebat: sulfate chininae utitur Doct. Martinet, sed epistaxis perseverat, nec cessat nisi obstructis, manu chirurgica, perfecte naribus. — Quis nam de periodica epistaxi, hoc in casu, judicare vellet? — Darwin de epistaxi, singulis noctibus, somni tempore recurrente narrat. Curabatur, aegrum a somno excitando anteaquam fluxus sanguinis adparuisset, et jubendo eum, per horae quadrantem, in cubiculo deambulare. — Tertia historia, de epistaxi narrat quae per tres dies successivos manifestabatur circa horam decimam vespertinam, praecedentibus symptomatibus, sanguinis congestionem activam in capite, indicantibus. Sanata fuit, adhibitis acido sulfurico et sulfate chininae. Aeger salutem forsan recuperabat, et epistaxis sistebatur, hoc in casu, etiam absque acidi sulfurici et chinacei remedii usu; hujusmodi enim epistaxes, periodice recurrentes, in infantibus praecipue, communissimum est

observare, quae sponte cessant fere semper. An vero hujusmodi observata ad statuendas irritationes haemorrhagicas locales, tamquam symptomatum febrium periodicarum causas, sufficiant, hoc medicis sanae mentis judicandum relinquo.

Quod si perpendamus, praeparata chinacea, quae febribus intermittentibus medentur, fugare aeque haemorrhagias periodicas: si denique consideremus, in quibusdam febrium haemorrhagicarum casibus, remedia chinacea primum arcere sanguinis fluxum et serius febrem ipsam periodicam, nova habebimus et validiora argumenta ut credamus haemorrhagias periodicas, sive cum sive sine febre, intermittentium febrium esse soboles.

FINIS.

THESES DEFENDENDÆ.

1. Praecipuos caloris fontes, in homine, encephalum et pulmonem esse.

2. Balsamo copaive virtutem specificam contra membranarum mucosarum phlogoses inesse.

3. Nullum remedium absolute controstimulans.

4. Auscultationis laudes limitandas.

5. In dubio, melius est nullum, quam anceps praescribere remedium.

6. Morborum indolem diversis temporibus, diversam.

7. Constitutionem morborum dominantem inter praecipuos therapiae fontes recenseri.